

Dissertatio medica inauguralis de scrophula ... / [Fotherley Pannell].

Contributors

Pannell, Fotherley.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour et Smellie, 1775.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c3tkvkrrn>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>








F. xv c
18











Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30548214>









DISSERTATIO MEDICA

IN AUCURALIS

DE

SCORPHULA

QVA M.

ANNUNTIAT SUMMO NUMINE

EX ALEXANDRO HAYWARDI ADOLESCENTI

W. GUILIELMO ROBERTSON, S. T. B.

ALUMNI REGII SOCIETATIS LONDINENSIS

PRÆSENTAT

WILLIAMO WATSON, M. D. CANTAB.

PROFESSORI REGIO MEDICINÆ

IN ACADEMIA REGIA LONDINENSIS

ANNO DOMINI MDCCCXXXV

ET AETATIS SUÆ XXXV

WATSON, ALEXANDER

JOHN WATSON

AND

WATSON, ALEXANDER

WATSON, ALEXANDER

PRÆSENTAT

WATSON, ALEXANDER

WATSON, ALEXANDER

WATSON, ALEXANDER

WATSON, ALEXANDER

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
SCROPHULA
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

FOTHERLEY PANNELL,
ANGLO-BRITANNUS.

Soc. Med. Edin. Soc.

Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem homi-
nibus dando. CICERO.

Prid. Id. Sept. hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE
Academiae Typographos.

† M,DCC,LXXV.

Viro illustrissimo,

GULIELMO CULLEN, M. D.

Collegii Medicorum Regii, quod Edinburgi est, Praefidi,
Medicinae in Academia, quae ibidem est, Professori,
Medico Regio Primario, et Medicorum nulli secundo;
ob beneficia innumera, quae, summis cum humanitate et benevolentia, in sese conferenda curaverit;

Item,

Viro eruditissimo,

ALEXANDRO MONRO, M. D.

Collegii Medicorum Regii Edinensis Socio, Anatomiae et Chirurgiae, in Alma Academia Edinensi, Professori;
ob fructum verum, quem ex acumine ingenii ejus singulari, quod, inter artem Anatomicam illustrandam et docendam, nunquam non evidenter eluceat, perceperit, et ob beneficia plurima ab eo accepta:

Item,

Viro excellentissimo,

J O A N N I R E I D,

Chirurgo, apud North-Allerton, in terra Eboracensi, in primis perito, praeceptori fidissimo, monitori amicissimo; ob operam, curam, tempus, in se, rudimenta medicinae docendo, collocata:

Denique,

Amico charissimo, et Chirurgo experto,

GULIELMO ATKINSON, Londinensi,

Viro omnium amicitiae officiorum fervantissimo, benevolentia in omnes mortales conspicuo; multum eruditione, et non minus morum elegantia, insignito;
propter eam familiaritatem et amorem, quae se inter et illum, per annos multos, intercefferint:

Hanc dissertationem sacram esse voluit

A U C T O R.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHILIPPS AUSTIN SMITH LIBRARY

DISSERTATIO MEDICA

DE
D. E.
L. M.

ALEXANDER MONRO M.D.

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN
A
DISSERTATION
ON
THE
NATURE
OF
THE
DISEASES
OF
THE
LUNGS
AND
BRONCHIAE
IN
THE
INFANT
AND
YOUNG
CHILD

BY
ALEXANDER MONRO, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN
A
DISSERTATION
ON
THE
NATURE
OF
THE
DISEASES
OF
THE
LUNGS
AND
BRONCHIAE
IN
THE
INFANT
AND
YOUNG
CHILD

BY
ALEXANDER MONRO, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN
A
DISSERTATION
ON
THE
NATURE
OF
THE
DISEASES
OF
THE
LUNGS
AND
BRONCHIAE
IN
THE
INFANT
AND
YOUNG
CHILD

BY
ALEXANDER MONRO, M.D.

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IN
A
DISSERTATION
ON
THE
NATURE
OF
THE
DISEASES
OF
THE
LUNGS
AND
BRONCHIAE
IN
THE
INFANT
AND
YOUNG
CHILD

DISSERTATIO MEDICA,

DE

SCROPHULA.

IN quam sententiam multi medici iverunt, viz. scrophulam morbum novum esse, et seculo superiori semet primum ostendisse, in eam haudquaquam concedere possumus. Scrophula haud dubie antiquissimis Graecorum et Romanorum non latuit. A duobus medicinae parentibus, Hippocrate et Galeno, depicta est. Quinetiam vitii hujusce gravissimi a Celso facta est mentio. Antiquiores quidem non historiam morbi omnibus suis numeris tam absolutam, quam nonnulli recentiorum, memoriae prodiderunt. Quae illi tamen super scrophula conscripserunt, ea

†

A

adeo

adeo accurata sunt, morbumque tam clare designant, ut eum, quolibet, in verba nullius magistri jurare addicto, iudice, seculis primordia rerum proximis revera extitisse evidenter manifesteque probent.

Apud Graecos *χοιρᾶς*, apud Latinos et Arabes *Scrophula* vel *Struma*, appellatur; in Italia, *La Scrofola*; in Gallia, *Les Ecouelles*; in Anglia, *Malum Regium*, nomen hinc plane oriundum, quod religionibus dediti regium tactum morbo semper mederi posse, et omnes Galliae et Angliae reges potestate huiusmodi haereditaria praeditos esse, crediderint. Sufficiat notare, quod nomina *Scrophula* et *Struma* a scriptoribus medicis, in praesentia, indiscriminatim adhiberi videntur.

DEFINITIO.

Magnam, apud auctores, definitionum varietatem offendimus. Plerisque harum, me iudice, plurima objici possunt. Etenim potius

tius a theoria, quam a phaenomenis morbi, profectae esse videntur. Ea igitur, qua utemur, est accurata et brevis Culleni celeberrimi: "Glandularum conglobatarum, praefertim in collo, tumores; labium superius et columna nasi tumida; facies florida, cutis levis, tumidum abdomen."

HISTORIA MORBI.

Scrophula plerumque a quibusdam glandularum colli conglobatarum tumoribus, parvulis, non dolentibus, fere mobilibus, incipit. Hi saepe, in tempus diuturnum, aliquando per totum vitae decursum, manent, nec colore nec magnitudine immutati, et non raro molestiae et doloris expertes. Nonnunquam gradatim decrescunt, prout aegrotus aetate progreditur, et saepe, sub pubertatem, ex toto evanescunt.

Plerumque

Plerumque tamen mole gradatim incrementum accipiunt, aliquantum dolere incipiunt; et, quamvis tarde, plus minusve inflammationis ostendunt. Cutis, sub hoc tempus, speciem modo lividam, modo rubram, induit; caeterum non raro, vel sub hoc morbi stadio, parum, vel ne minima quidem ex parte, decoloratur.

Post hunc inflammationis statum, tumores aliquid fluidum sibi lente acquirunt, quod nonnunquam iis contentum diu manet; sed crebrius quidem semetipsum, per cutem, et compluribus foraminibus parvulis effundere notatur.

Cum suppuratio et inflammatio celeriter accedunt, plus minusve puris; caeterum, in tuberculis tardius ad suppurationem rupturamve pervenientibus, nihil ejus propemodum, sese ostendit. Contra, aliquantulum potius materiae caseariae, et coagula lactea reddentis, in quantitate feri tenuioris suspenditur, eidemve innatat.

Humor plerumque, qui ex ulceribus postea efferri consuevit, tenuis viscidusque est,
cui

cui plus minusve materiae caseariae accesserit.

Cum tumores parvuli rupti sunt, saepe diu exulcerati manent. Aliquando sponte sua, at tardissime, sanescunt.

Ulcus nonnunquam speciem prorsus singularem prae se fert. Rarius accurate circumscribitur; contra, admodum inaequale esse, et margines in superficiem partis ulceratae, hic magis quam illic, semet protendere, reperiuntur. Hi quoque plerumque, cum laevore cutis insigni, tenuissimi et planissimi sunt.

Quaquam hic morbus in glandulis colli conglobatis plerumque semet ostendit, alias tamen corporis partes, ubi nihil structurae glandulosae simile reperiundum, sub forma tumoris magis universi frequenter invadit. Cum res ita sese habet, juxta artus, velut circa manus, digitos harum pedumve, genua, saepissime vero cubitos, assidue fere sedet. Facies plerumque florida, et speciem, praeter consuetudinem, delicatam prae se fert, quam multo facilius mente concipere, quam

quam verbis depingere, possis. Oculi plerumque ampli et debiles sunt, et saepissime ophthalmia laborant, quam ab ea, quae inflammationem habeat, facile fecernes et internosces, quod per medicamenta tonica et astringentia depellitur, et per evacuationes pejor efficitur. Labia quoque admodum florida sunt, et superius cum columna nasi multum intumescit.

Scrophulosus affectus partibus mollioribus neutiquam semper continetur. Cum morbus in artubus sese ostendit, et ulcera edit, ossa ipsa, modo non minus singulari, quam partes molliores, afficere reperitur, cariem, quae tamen a qualibet alia differat, faciens. Haec quoddam incrementum spongiosum, idque plerumque texturae laxae, habere videtur, nec eo odore foetido nigroque colore, qui tam saepe in carie generis diversi adsint, stipatur. In primis notabile est, quod, dum caries alius generis aegerrime tollitur, scrophulosa aequae facile, ac ulcus partium molliorum, sanatur. Hoc silentio non praetermittendum duximus, quod chirurgi ad ampu-

amputationem, in carie partium ei operati-
oni minime accommodatarum, absque causa
nonnunquam decurrerunt, et operam ple-
rumque perdiderunt, morbo, brevi, semet a-
libi ostendente:

Is affectus singularis, qui sub nomine *spi-
na ventosa* fere describitur, scrophulosus esse
videtur. Hanc autem nostram opinionem
confirmant, chirurgus seculi superioris ex-
pertus, Wisemannus, et praeceptor meus,
jure celeberrimus, Monroius. In hanc sen-
tentiam concessit hic anatomicus accuratissi-
mus, quod spina ventosa, eadem aetate, et
in iisdem corporum generibus, ac scrophula,
semet ostendit; quod caries scrophulosam
manifestissime reddit; quodque morbus ea-
dem cum difficultate depellitur.

Scrophula eos potissimum, quibus tempe-
ramentum sanguineum sit, invadere videtur;
eos nempe, quibus sint capilli molles, albi-
di; amplum systema arteriosum, humorum
redundantia, et magna systematis nervosi
sensibilitas et irritabilitas. Non solum assidue
fere temperamento vel constitutione corpo-
rea

rea sanguinea praeditos, sed certa aetate, occupat. Ab anno tertio ad septimum plerumque, nonnunquam etiam ad pubertatem usque, accedit. Exempla tamen non desunt, ubi tam mature, quam septimo a partu mense, apparuit. In proVectos aetate rarissime quidem invadit, et tumores scrophulosi in collo, sub pubertatem, se ostendentes, accessionem phthiseos pulmonalis semper praefagire feruntur.

Morbus cum anni tempestatibus quodammodo manifeste conjungitur. Tumores Vere saepius accedunt, et per maximam aetatis partem manent. Idem de ulceribus ab eis orientibus dici potest. Exitum autumniverfus, tumores saepissime discutiuntur, vel ulcera, quae facta fuerint, sanescunt, et omnia, donec solstitium hyemale praeterierit, et ver appetat, quieta manent. Quamprimum vero coelum mitius calidiusque esse incipit, tumores ac ulcera rursus redeunt.

Cadaveribus eorum, qui scrophula extincti sunt, incis, haec in conspectum data; glandulae totius corporis lymphaticae, potissimum

tiffimum mesentericae, magis minusve tumefactae et obturatae; et ossa ipsa admodum erosa.

Exemplum cariei ossium admodum singulare in skeleto scrophulosi, sexennium nati, quod penes Monroium est, occurrit. Pars dextrae tibiae media, anterior, ubi musculis non tegitur, aliquantulum tumida et scabra est. Condyli ossis humeri dextri eodem fere modo afficiuntur. Laminae duae ossium parietalium, altera ab altera, tam introrsum quam extrorsum, separantur. Os metacarpi sinistri primum ad medium usque, parsque ejus extrema, quae carpo adjungitur, nodosa, spongiosa, et foraminum parvulorum plena esse videntur, et radius juxta caput magno-pere intumescit. Pars utriusque ulnarum superior, anterior et media maxillae inferioris et ossis frontis, admodum tumidae et spongiosae, magnas aperturas habent, margines quarum scabri sunt, et inaequaliter prominent.

Nulli cancelli in partibus interioribus videri possunt. Cava ulnae laevia et mem-

B † brana

brana succincta sunt, adeo ut ea carnem fungosam in cadavere recente comprehendisse ponas. Omnia ossa affecta, praeter consuetudinem, alba et friabilia sunt.

S E M I N I A.

1. *Ætas certa.* Hic morbus, ut in historia jam comprehensum, pueros, potissimum annum tertium inter et septimum, invadit. Hoc spatium tamen non circumscribitur. Modo, vita provectiore, modo, vel brevi post partum, semet ostendit.

Plerique aegrotantium, quos Cullenus *, medicus in primis expertus et sagax, viderit, annos triginta expleverant, paucissimi plures nati sunt. Unum quidem scrophulae exemplum, in homine annum aetatis quinquagesimum transgresso, ei occurrit.

Hippocrates † scrophulam nunquam senes
invadere

* Praelectionibus clinicis.

† Vid. προφητικων βιβλ. β. Foacs. p. 95.

invadere affirmat; Lommius* vero hoc aliquando, quamvis raro, accidere confitetur.

Hildanus† viri cujusdam annum septuagesimum transgressi meminit, qui, ab ineunte aetate, scrophula perpetuo laboraverat.

Quinetiam Dr Fallon‡, in dissertatiuncula sua inaugurali, aegrotam septuaginta annorum, quae scrophula laboraverit, eaque tantum anno aetatis sexagesimo nono inceperit conflictari, sibi curandam traditam esse refert. Haec autem exempla, ut omnes fassentur, rarissima.

2. *Tempus anni.* His morbis, qui Vere accedunt, saltemve graviores redduntur, Hippocrates scrophulam accenset. Quam observationem omnium medicorum experientia plane confirmat.

3. *Labes haereditaria.* Quin proclivitas ad scrophulam hinc oriatur, ambigi nequit; licet haec in temperamento singulari tantum, quod

* Jodoci Lom. medicin. observ. Edinb. ann. 1752. edit. lib. ii. p. 313. vel 314.

† Observ. Chirurg. cent. 3. p. 216. observ. 34.

‡ Diff. inaug. p. 10.

quod parentes cum prole sua communicent, forsitan consistat.

4. *Temperamentum.* Qui huic morbo patent, iis sunt, laxitas habitus corporei singularis, mobilitas systematis nervosi insignis, et, ut nonnulli ferunt, magnum ingenii acumen. Temperamentum sanguineum scrophulae opportunissimum esse videtur. Res autem interdum aliter sese habet. Non desunt enim temperamento melancholico, tensoque fibrarum systemate praediti, qui hoc morbo conflictantur.

POTESTATES NOCENTES.

1. *Diaeta e vegetabilibus farinaceis, praesertim pane non fermentato, et cibo quodlibet genus crudo et acescente, constans.* Boerhaavius fructus acerbos, immaturos, corpus alendi causa adhibitos, morbum quoque movere existimat.

Diaeta autem hujuscemodi morbum concitare posse credita est; quod medici olim
lentorem

lentorem humoris lymphatici fingularem causam scrophulae proximam esse opinati sunt. Iis igitur facile persuasum est, diaetam farinaceam ad hunc lentorem faciendum magnopere esse collaturam; nunquam tamen considerarunt, utrum opinionem suam res verae et experientia suffulcirent, an omnino convellerent. Hae quidem sententiam, in quam concesserint, ex toto infirmare videntur. Si cibus farinaceus morbum excitare posset, liberi plebeculae, in Scotia potissimum, qui vegetabilibus, ut accepi, plurimum victitant, in primis ei objicerentur; contra, loco honestiore nati, praesertim in Anglia, qui cibo animali magna ex parte, vel ex toto fere, utuntur, eo, ante omnes alios, vacarent. Quod huic omnino contrarium est, evenit. Plura etenim e pigrioribus divitum, quam pauperum, morbus infestat. Scrophula quidem in pauperculis se frequenter ostendit; attamen memoria teneatur, eam pueros inopum, ante alios, in oppidis tantum, ubi loca depresso, humida, tenent, aërem impurum et putridum inhalant,

lant, et exercitatione fatis crebra, quae pueris cum naturalis tum necessaria sit, non fruuntur, invadere consuevisse.

Liberi tenuiorum, rure, qui vegetabilibus, ut in plerisque Europae regionibus moris est, ex toto fere vivunt, aequae scrophula, ac quilibet alii, immunes sunt.

Quantum ad fructus acerbos, et immaturos, pro alimento sumptos, spectat, hi causis morbi nunquam annumerari debent, cum pueri, cujuscunque classis sint, diaeta hoc genus non multum utantur.

Quod argumentum scriptores Gallici, scrophulam apud plebeios saepius grassari demonstrandi causa proferunt, viz. tres e quatuor omnium mortalium partibus, qui ad regii tactus auxilium confugiunt, e plebe conflatas esse; id nihil, me judice, ponderis habet, et omni vi destituitur. Cur non secum reputant, plebem, quam divites, in unaquaque orbis terrarum regione, multo numerosiore esse, et illos multo saepius, quam hos, superstitione adductos, ad hoc auxilium vanum et inutile decurrere solere?

2. *Regionis situs.* Hic morbus in nonnullis Europae partibus, potissimum in Hispania, regionibus Alpinis, Germania, et Siberia, endemice grassari dicitur. Hoc autem, iudicio nostro, a vero longe deflectit; namque nullus morbus, cui corpus humanum sit obnoxium, crebrius, ubique terrarum, quam scrophula, invalescere videtur. In regionibus frigidissimis, et calidissimis, in Siberia, insula Jamaicensi, et Egypto, semet ostendit.

3. *Contagio.* Hic morbus contagione vulgari, et a marito ad uxorem transferri posse, narratur. Haec opinio haud dubie fundamento parum stabili innititur. Si enim res ita sese haberet, nonne omnis de ea dubitatio jamdudum sublata fuisset? Nonne pueri, contactu quotidiano, morbum, alii cum aliis, quod nunquam accidit, communicarent? Nilominus quaeri potest, nutrix alumnum suum morbo necne valeat impertiri?

4. *Injuria externa.* Haec ad morbum, ut opinamur, movendum, nisi proclivitas ad eum substabit, parum, vel haud omnino, efficacax

ficax est. In homine omnibus scrophulae signis prorsus immuni, nullum ictum externum, fortuitum, eam concitaturum esse credo. Ne minimus quidem, quantum videre possim, nexus inter obstructionem, hoc modo factam, et scrophulam intercedit.

5. *Diaeta plena, lauta ; et defectus aëris et exercitationis idoneorum.* Haec multo plus ad morbum movendum, quam causae supra positae, haud dubie conferunt. Causae, proxime dictae, ut arbitramur, unicae sunt, quae, ut morbum excitare valentes, dignae esse videntur, quae attentionem nostram in sese convertant.

CAUSA PROXIMA.

Causa scrophulae proxima, ut omnium fere aliorum morborum a labe haereditaria proficiscentium, summa obscuritate involvitur.

tur. Super hac, opiniones medicorum celebrium, praesentis et praeteritorum seculorum, admodum diversae, et saepe, aliae aliis, ex toto contrariae fuerunt. Cum res ita sese habeat, nullam theoriam propriam tradendam, sed praecipuas tantum earum, quas alii, vel ipsi excogitaverint, vel jam excogitatas probarint, referendas, suscipiam.

Wisemannus, chirurgus apud Anglos, seculo superiore, celebris, causam hujusce morbi, proximam, acorem feri sanguinei singularem esse proponit, quae, ut ille putat, in glandulas, musculos, &c. incidit, et humores cogendo et indurando tumores efficit*. Haec theoria, nisi omnia nos fallunt, non paucis objectionibus patet. Nullum etenim documentum est, quod acorem, qui primis in viis se ostendat, canalem alimentarium unquam transire satis evincat; et effectum potius, quam causam morbi, esse multo magis probabile. Hoc forsitan theoriae ortum praebuit, quod morbus pueros, quorum ven-

C † triculi

* Vide Treatise on Surgery, vol. I. b. 4.

triculi acido abundant, saepissime infestat. Caeterum hujus meminerimus, quod morbus non eo tempore, quo pueri acori plurimum objiciantur, accedere consueverit. Insuper, si acor causa morbi proxima foret, omnes fere pueri scrophula laborarent, cum pauci vel nulli, certo vitae tempore, adversus acorem et ejusdem effectus sint tuti.

Bordeu *, auctor Gallicus, opinionibus suis singularibus, de plerisque rebus medicis, nobilitatus in sententiam Wisemanni concessit. Pueris, ob explicationem complurium e partibus organicis parum absolutam, humores non rite parari, et hinc acidum evolvi, ponit, quod semper totam humorum massam magis minusve vitiat, et primaria scrophulae causa est. Quae priorem hypothesein convulserunt, eadem hanc ingeniosam quoque convellent.

Multi lentorem lymphae singularem hunc morbum facere putant. Haec quoque theoria nulli fundamento solido inniti videtur.

Per-

* Med. Com. vol. III. part II. p. 157.

Permagna tumorum ipsorum mobilitas cum omni lentore plane pugnat. Materia tenax, quae e tumoribus effertur, a remora et stagnando, non a lentore, videtur oriri.

Nonnulli, in quibus Mortonius * est, existimant, acrimoniam humorum, quae praeter naturam est, hunc morbum concitare, quae efficit, ut recens chylus non rite assimiletur, et partibus glandulosis (ubi sanguis, ob cursum arteriarum, &c. flexuosum tardius movetur, ideoque plus ejus, quod nutrit, quam alibi, post sese relinquit) nimis copiose deponatur; unde systematis lymphatici proficiscuntur tumores.

Haec quoque hypothesis vaga et incerta esse videtur, quoniam morbus, nullis acrimoniae notis in corpore semet ostendentibus, diu manet; et, cum signa acrimoniae tandem accedunt, namque eam haud dubie aliquando adesse, cum materia, quae ex ulceribus effluit, diffusa, ossa saepe erodat et cariosa reddat, confitearis oportet, hoc tantum, morbo

* Phthisiolog, lib, I, cap. 25.

morbo provectiore, fit. Utrum vero acrimonia necne existat, parum refert; cum, natura et indole ejus hucusque prorsus ignotis, nullum curandi utile consilium hoc fonte possit deduci.

Professor ille celeberrimus Cullenus, cujus notiones morborum ex aequo novae et ingeniosae, angustisque limitibus haudquaquam circumscriptae, scrophulam non ab ulla materia generis sui a parentibus ad liberos translata, quae postea, ut fermentum, in corporibus horum agit, oriri putat. Opinionem hujus viri ingeniosissimi suis fere verbis exponam.

“ Scrophula manifeste systematis universi morbus est, cum in temperamentis characteres, alioquin distinctos, habentibus occurrat. Si scrophula melancholicos semel, licet a regula admodum universa non pauca deflectere possint, sanguineos vigesies saltem, occupat. Ex hoc solo morbum cum toto habitu corporeo quam intime conjungi patet. Si eum ulterius persequi velis, quam corporis partem, prae qualibet alia, invadat, eam

eam systema lymphaticum esse comperieris. Hoc vero summum negotium et difficultatem nobis faceffit, cum, cuinam usui systema lymphaticum inserviat, magna ex parte ignoremus. Necessitas quidem exhalationis et absorptionis admodum manifesta et evidens est; cur vero alium vasculorum ordinem natura paraverit, quibus humor lymphaticus alia abducatur, adeo ut non ad sanguinem protinus devehatur, sed prius chylo recenti admisceatur, nos omnino latet. Igitur, cum nec lymphaticorum naturam, nec omnia, quibus in oeconomia animali inserviant, consilia perspecta habeamus, in quonam hic morbus lymphaticorum singularis consistat, explicatu difficillimum sit oportet. Non improbabile est acrimoniam in lymphâ peculiarem oriri; qualis vero sit, ne minima quidem ex parte conjicere possumus, nec, utrum haec, pro vitio in hoc fluido sponte orto, vel ab aliquo proprio structurae totius corporis pendente, quod lympham ad conditionem hujuscemodi proclivem efficiat, haberi debeat, affirmare audemus. Hoc verum esse, cum morbus a labe haereditaria oriatur, contendo.

Morbus

Morbus haereditarius materiae singulari, quae a parentibus ad prolem suam transferri, quaeque, ut fermentum, in hac agere, possit, interdum debetur.

“ Rem in lue venerea ita sese habere ponimus ; sed parens eandem corporis conformationem et structuram, quae sibi sint, in scrophula, ad liberos transferre, et morbus ab hac corporis conformatione pendere, videtur. Hujus exemplum praebet phthisis pulmonalis, et multi alii morbi haereditarii. Si fermentum primarium causa scrophulae proxima foret, morbus in pueris omnium constitutionum et temperamentorum, quotquot sint, oriretur. Res longe aliter se habet. Complures familias numerosas, a parentibus scrophulosas ortas, novi, et liberi morbo, vel non, laboraverunt, prout affecto parenti similes dissimilesve fuerunt. In exemplo, ubi pater, non mater, scrophula, laboravit, octo liberos, ex aequo divisos, ostendere possum. Qui patrem lineamentis oris et figura reddunt, scrophula confluantur ; qui constitutionem corpoream maternam nacti

nacti sunt, ea vacant. Multa alia exempla proferre possum, quae morbum non in ulla acrimonia singulari, sed in conformatione totius corporis et structura, quaerendum esse demonstrant.

“ Si quando acrimonia adfit, ab actione solidorum, et humorum distributione progenerari videtur.”

Professor ille eruditissimus, Monroius, hunc morbum primario, nec in glandulis lymphaticis sedere, nec ab iisdem oriri, putat ; quod ophthalmiam vel spinam manus pedisve ventosam primam scrophulae notam esse iterum iterumque vidit, id est, morbum extra glandulas lymphaticas incipere novit. Igitur hic anatomicus celeberrimus glandulas lymphaticas per absorptionem cujusdam acris materiae, cujus natura nondum comperita habeatur, a constitutione corporea, modo hucusque non intellecto, generatae, a vasis lymphaticis absorptae, et glandulis harum depositae, solam saepe affici credit.

Russelius

Ruffelius * scrophulam non tam a certa contagione, vel labe haereditaria, quam a debili et vitiato totius glandularum systematis tono, in quo proxima, illo iudice, morbi causa consistat, proficisci existimat.

PROGNOSIS.

Haec admodum dubia et incerta esse videtur.

Pro numero rerum circumstantium, quibus morbus stipetur, et signorum gravitate et duratione variat. In summa, morbum pertinacem, longum, sublatu difficilem, ad repetendum proclivem esse, puto. Signa nonnunquam medicamentis, saepius naturae ipsius ope, tolluntur ; caeterum, praesertim in iis, quibus plurimum labis haereditariae fit,

* Treatise on the use of sea-water, p. 141.

fit, gravitate priore non imminuta, saepissime redeunt.

Si morbus, ante pubertatem, invadat, sub id tempus, decessurum esse sperare licet. In adultis, haud dubie curatu difficillimus est, quamque pertinax fit, hoc satis ostendit, quod potestati illius mutationis salutari, quae systemati, sub tempus pubertatis, illata fit, non paruerit. Si aegrotus, pubertatem inter et annum aetatis vigesimum quintum, morbo non fuerit liberatus, rarissime, Ruffelio * teste, convalescit.

Si obstructions glandularum in mulieribus, ante annum quadragesimum, non decesserint, idem auctor † morbum, menstruis provenire desinentibus, cum eadem signorum gravitate, ac olim, repetere solere affirmat.

Quos morbus, post annum quadragesimum, invadit, eos ad sanitatem raro reduci, quod obstructions adeo inveteraverunt, ut nunquam possint removeri, Wisemannus testatur.

D † Tumores

* Oeconomy of nature in diseases of the glands, p. 97.

† De tabe gland. aph. 4.

Tumores scrophulosi externi, inflammationis vel ulcerationis expertes, minimum periculi habent, et saepe parum nihilve incommodi aegrotantibus, in tempus diuturnum, faceffunt. Attamen hi tumores, si suppura-verint, ulcera parvula, serpentina, inducunt, et multo magis periculosi sunt, adeo ut aegrotus, e suppurationis tarditate humorum-que nutrientium jactura, in phthisin pulmonalem incidat, et moriatur. Tumores interni omnium periculosissimi sunt, praesertim si suppuratione fuerint finiti. Hoc in causa nulla salutis spes est; quoniam exitus materiae dari nequit, quae tabem citius aut ferius, morte finiendam, inducit.

Denique, revera nullus est morbus longus, qui plus periculi, quam scrophula pertinax, aegrotantibus inferat, minusve medicamentis pareat. Infelicissimorum, qui ea conflitantur, pestis et exitium est, medicorum opprobrium.

ME-

METHODUS MEDENDI.

Opiniones multorum e medicis celeberrimis, ut supra exposuimus, de causa proxima inter sese magnopere differunt, immo nonnunquam sibi invicem plane adversantur. Hinc igitur nos curationem ad effectus ejus tantum dirigere posse, manifestissime constat.

Signa laxitatem totius habitus, et acrimoniam singularem, vel per systema lymphaticum factam, vel eodem potissimum depositam, duo praecipua esse, quae morbum constituent, non obscure testantur.

Consilia igitur nostra eas tollendi erunt,

- I. Tonum systemati universo reddere.
- II. Systema lymphaticum eluere.

Quae consilio priori respondent, ea sunt, balneum frigidum, exercitatio, cortex Peruvianus.

Bal-

Balneum frigidum. Hoc remediis vigorem systemati universo reddere efficacissimis merito annumeratur. Medici in curatione scrophulae hoc remedium tanti faciunt, ut multi proclivitatem ad eam, quae pueris infit, per usum frigidae lavationis, maturum et tempestivum, omnino tolli posse credant.

Hoc remedium admirandum novam vitam et vigorem in totum systema diffundit; pulsus pleniores et validiores reddit; appetentiam cibi auget, concoctionem promovet, et tranquillitatem animi et hilaritatem facit. Quanquam vero commoda maxima a balneo frigido rite adhibito oriantur; quaedam tamen cautela, usum ejus spectantes, non sunt negligendae, ne forsitan plus noceat quam profit.

Ne corpus, inter initium, nimis subito, et ex toto, in aquam immergas, quod exinde strictura superficiei, tam repentina et violenta, inferri potest, ut cursus sanguinis ad partes internas nimis copiosus fiat. Unde periculum summum, et forsitan mors ipsa, orietur.

Primum manus pedesve solos, deinde gradatim plures partes pro viribus aegroti, postremo totum corpus, tuto et commode in balneum demittes.

Ne aegrotus nimis diu in aqua maneat, et, quam primum ex ea emerfit, cutis ei et capilli quam diligentissime linteolo tergeantur et exsiccentur.

Exercitatio. Haec rite adhibita tam salutaris et utilis est, ut non tantum in morbos jam inductos, sed in venientes, magnopere posse, reperiat,ur.

Semper citra defatigationem fit: Si vires systemati multum convulsae sint, prius ab ea, quae remissior est, incipies, et deinde gradatim ad eam, quae amplior, progredieris. Sub initium, aegrotus, si fatis aetatis ei accesserit, curru unijugo vehet, quoniam ibi aëre recente et aperto liberaliter utetur, et moderatio praeterea habenarum eum rite exercitabit. Quinetiam pulchritudo rerum naturae, qua nihil elegantius perfectiusve esse possit, summa eum delectatione afficiat, animosque demissos erigat, necesse est.

Si

Si hoc exercitationis genus corpus aegrotum firmet, deinde ad equitationem decurret. Si res aegroti familiaris tenuis, talisque fuerit, qualis ei exercitationibus hujuscemodi interdicit; foris tamen in aëre libero et puro ambulabit, arabit, aliisque officiis agricolae propriis fungetur.

Pauperiores laborem hujusmodi multo facilius citra defatigationem, quam divites, qui multo magis luxuria defidiaque debilitantur, possunt subire. Hinc robur simplicibus solidis, vigor vivis redit; humores facilius liberiisque per canales suos diversos transeunt, et omnes secretiones et excretiones rite aequaliterque pergunt.

Quinetiam navigatio ad curationem hujusce morbi confert, et aliis exercitationis generibus hoc praestat, quod nunquam interpellatur, et idcirco humores ad superficiem aequabilius constantiusque evocat.

Cortex Peruvianus. Hic tonicis internis, quotquot sint, jure anteponitur; et nuper, ob facultates suas contra hunc morbum efficacissimas,

ciffimas, a cel. Fothergillio *, in Tentaminibus Medicis, Londini editis, summis laudibus ornatur.

Haud dubie actionem ventriculi promovet, quod ingesta nimis diu retineri prohibet. Tonum intestinorum roborat, motum eorum peristalticum magis aequabilem et regularem efficit, omni inflationi et acori inimicus. Effectus ejus tonici in totum systema diffunduntur, et nervosae mobilitati, in hoc morbo adeo conspicuae, insigniter occurrunt. Quinetiam hoc remedium tumores scrophulosos omnis doloris expertes discutere, et, partibus ulceratis, suppurationem laudabilem promovere ferunt.

Cortex semper, si fieri potest, substantia et copiose detur. Si ventriculus substantiam ferre nequeat, sub forma decocti infusive adhiberi potest. Posterius priori, cum virtutes ejus hoc modo accuratius extrahantur, anteponendum.

Secundo

* Lond. Med. Observ. and Inquir. vol. I. p. 303.

Secundo confilio respondet ufus aquae copiofus et liberalis. Ne unus quidem forfitan aquae mineralis, uti appellatur, in tota Europa fons eft, qui fcrophulam curare non dictus, et idcirco laudibus concelebratus eft. Aqua *chalybeata, sulphurea, falina, &c.* omnes ex aequo laudatae, funt. Si diverfas harum impraegnationes, et effectus prorfus contrarios, quos in fyftemate edant necesse eft, fi ullos revera edant, confideraveris; effectus earum boni copiae aquae, in ventriculum receptae, et in totum corpus diffusae, haud dubie potiffimum tribuendi funt.

Quomodo aqua fyftema lymphaticum eluat, explicatu forfitan difficile. Caeterum hoc tantum dicere possumus, quod quantitas aquae omnem fyftematis vasculofae partem forfitan attingit, et fecretiones univerfas, quodlibet excrementum e corpore foras expellentes, quod neminem fugit, efficaciffime promovet.

Nihil-

Nihilominus tamen, non absque causa, suspicaberis aliquam impraegnationem ad effectus ejusdem juvandos posse conducere.

Quaenam impraegnatio idonea et optima sit, experientia nondum clare demonstravit; sed celeberrimi e medicis hodiernis aquam marinam cuilibet minerali, quasi consensu quodam unanimi, antepone-re videntur. In his Cullenus est, qui disertè ait, se effectus adeo felices ab usu aquae marinae, in curatione scrophulae, iterum iterumque oriri vidisse, ut ad eam, in aliquot annos proxime elapsos, ut unum e remediis praecipuis, decurrere consueverit.

Haec opinio auctoritate Russeliana ulterius confirmatur, qui in paginis libri sui, de tabe glandularum, trigesima octava et quadragesima, verba sequentia profert.

“ Non enim aliud quoddam medicamentum novi quo melius quid discutitur, quam marina aqua interne sumpta. Marina aqua duo praecipue commoda affert: Alterum

E † est,

est, quod tutissime alvum a constipationis metu liberat; alterum, quod melius caeteris omnibus discutit. Et veteres quidem aqua marina in hisce morbis uti consueverunt. Aquam vero maris per se (auctore Plinio) efficaciorē discutiendis tumoribus putant medici. His etiam et illud commodi accedit, quod et digestionī et chylificationi marina aqua prodest.”

Aqua marina, fortissime impraegnata et purissima, ad aliquam a littore distantiam, circa horam, antequam aestus incipiat relaxari, paratur. Aqua hoc modo comparata, et in utriculis rite inclusa et obturata, ad quamlibet distantiam, absque ulla virtutum ejus jactura, devehī potest. Igitur haudquam necessarium esse videtur semper praecipere, ut aegroti ad oram maritimam sese conferant, ubi diversoriis pessimis uti, aliisque incommodis objici, coguntur.

Aqua marina iis quantitatibus assidue sumatur, quae alvum rite laxam teneant; purgatio enim quaelibet immodica aegrotum debilitaret, et aquam simul rite absorberi

beri prohiberet. Quantitas igitur ab effectibus, quos edat, semper pendeat. Aliis quatuor uncias tantum, aliis libras duas, dare conveniet; dosi vero posterior plerisque adultis fatis, et nimis forsitan ampla esse reperietur.

Cum aquam maritimam quantitatibus parvulis damus, aliquantum aquae fontanae ei semper forsitan adjicere debemus, quod saporem illius non tantum minus ingratum efficiet, sed sitim molestissimam, quam aqua marina semper moveat, non parum compescet.

Si quilibet, ob rem familiarem nimis angustam, nec ad oram maritimam, commeare, nec aquam impensa modica comparare possit, aquam marinam, arte factam, in locum verae, in usum ejus substituendam curavit Cullenus.

Una salis Glauberiani uncia et duae communis in tribus aquae fontanae libris dissolvantur, et eodem modo, quo aqua marina, supra comprehensa, data est, sumantur.

REMEDIA ANOMALA.

Magnus aliorum remediorum numerus est, quorum in curatione hujusce morbi mentionem fecerunt auctores, quaeque sub neutro consiliorum nostrorum rite collocare possumus. Igitur classem remediorum anomalorum instituimus, sub qua eorum praecipua complectemur, et paucula de singulis notabimus.

Cicutam. Attentionem medicorum in hanc convertit D. Storck, medicus Viennensis, qui eam summis laudibus concelebravit. Hoc remedium haud dubie tumores scrophulosos tollendo, et ulcera sanando, profuit; caeterum, ut opinamur, multo saepius inefficax esse repertum est. Sive vero hoc a delectu medicamenti haud rite habito, sive a praeparatione ejus prava, sive ab hoc, quod casibus scrophulae certis et definitis tantum

accommodatur, oriatur, nondum didicimus.

Tussilaginem. Hoc remedium a Culleno laudatur. Id eum, multis in exemplis, frustratum esse, sed saepe tamen magnopere profecisse, fatetur. Tumores discussisse, et multas ulcerationes scrophulosas brevi sanasse, dicitur. Cullenus succum recentem decocto, quod saepe viribus incertum esse compertus sit, anteponendum putat. Ab unciis duabus ad semilibram usque quotidie, pro aetate aegroti, dandus est.

Abforbentia et Alkalina. Quae hypothesi scrophulam ab acore morbido proficisci ponit, ea medicis, me iudice, ut haec adhiberent, persuasit. In plerisque habitus relaxati casibus, haud dubie acor morbidus in ventriculo saepissime adest, et, cum hic incommodis stipari, et causam forsitan debilitatis possit augere, abforbentia et alkalina haud dubie, prout occasio postulabit, cum commodo adhibebuntur.

Cathartica. Haec, ut supra posuimus, hoc in morbo nunquam adhibenda sunt, quod

quod omnes evacuationes vires aegroti imminuunt, et, ut morbus ingravescat, et quasi radices suas altius agat, efficiunt. Quae alvum tamen modice solvunt, ea in primis conveniunt. Aqua autem marina rite sumpta hoc efficacissime praestat.

Mercurialia. Theoria obstructionis et lentoris humorum lymphaticorum in causa fuit, cur medici ad mercurium in scrophula confugerint; nihilominus tamen, si observatoribus optimis et accuratissimis fides habenda, plerumque nocere compertus est. Saepe eousque datus fuit, ut salivationem excitaverit, quae systema multum debilitat, et suppurationem, quae diligenter cavenda, promovet.

Fonticulos. Hi, ut admodum utiles, memorati sunt, et evacuatio, per eos facta, forsitan unica est, quae in curatione scrophulae recipi potest. In casibus ophthalmiae scrophulosaе potissimum laudantur, etiam cum suspicio non deest morbum cum pulmonibus esse communicatum. Quemlibet humorum cursum insolitum, ad hasce partes factum, tollendo,

tollendo, haud dubie plurimum profunt, et, cum evacuatio adeo modica fit, ut nihil debilitatis eam subsequi queat, quam tutissime, ut judicamus, adhiberi possunt.

Diaetam. Haec plerumque ea esse debet, quae facillime concoquatur, et systema minima irritatione afficiat; hinc lactea forsitan plurimum conveniet. Quandocunque tamen acor in ventriculo dominatur, juscula idoneae panis bene fermentati portioni admista, votis nostris melius respondebunt.

In nonnullis casibus cibum animale cum cyathis vini generosi pauculis non tantum impune, sed summo cum fructu, adhiberi posse judicamus.

Applicationes externas. Hae tales sunt, quales vel consilio tumores discutiendi, vel ulcera sanandi, adhibitae sunt. Tumores scrophulosos resolvendi causa, ad applicationes numerosissimas decursum est, velut ad vapores aquae calidae et aceti, cataplasmata cicutae, solutiones sacchari Saturni, alumen, &c.

Quan-

Quaquam aliqua horum remediorum ad humores resolvendos nonnunquam conferre visa sint; plerumque tamen inutilia esse, et mutationes, quas inducere existimata sint, viribus naturae medicatricibus multo saepius tribuendas putamus. Quinetiam ad applicationes varias, ulcera sanandi causa, confugere soliti sunt medici, velut ad rubrum praecipitatum, e cupro praeparata, saccharum Saturni, alumen, &c. Caeterum, nullis observationibus de hisce prolatis, tantum notabimus, simplex illud remedium, aquam fontanam parvulae marinae quantitati adjectam, in ulcera, optimis medicis testibus, plurimum posse repertam esse. Aqua falsa, simplex, multum laudatur; sed eam plerumque nimis acrem et irritantem fore suspicamur. Ultimum remedium, cujus meminerimus, est illud celeberrimum,

Tactus Regius. Cum superstitio et credulitas stolidi apud mortales ubique magnopere invalescerent, de efficacia hujusce remedii mirandi et singularis dubitasse, scelus immane et inextinguibile fuisse.

Seculo praesenti tamen nihil obstat, quo minus ei fidem derogemus, et, nos plerasque curationum celebrium pro tot fallaciis abominandis habere, confiteamur. Quae artes famam huic comparandi causa adhibitae fuerunt, eae admodum variae.


Ægrotos, circa pubertatem, ad regium tactum adducere moris fuit, quo tempore vis naturae medicatrix curationem erat absolutura; vel tactum his mensibus adhibere, quibus, experientia teste, gravitas signorum imminui potissimum consueverit. Caeterum hodie, cum medici has artes ignobiles repudiant, superstitioni caecae minus parent, et medicinam plerumque magis, ut scientiam liberalem, quam artem mysticam et dolosam, exercent, hoc remedium laudatissimum, in modum aquae sacrae celebris, in ignominiam et contemptionem, non absque causa, illapsum est.


Hanc academiam dilectissimam non prius relinquere possum, quam grates omnibus ejus Professoribus, ob beneficia quam


† F plurima


plurima ab iis accepta, perfolverim. Humanitas et benevolentia, quas adversus me semper adhibuerint, mihi e memoria nunquam excident.


F I N I S.















~~t~~
~~m~~



(137)



